



p. 65-67

VINDICIARUM VERITATIS

A' CASTIGATIONIBUS QUARUNDAM
PROPOSITIONUM,

Quæ habentur in Opusculo de Ortu,
ac Vegetatione Plantarum,

JO. BAPTISTÆ TRIUMFETTI;

Medicinæ Doctoris, & in Romano Archilycéo
Simplicium Professoris;

CUM AUCTORIS SPECIMINE

Circa Plantarum Phœnomena, ac Metamorphôses,

PARS PRIOR,

*In qua Experimenta, ac novæ Observationes De Ortu,
ac Vegetatione Plantarum continentur.*

- Iconibus Æneis expressæ.



ROMÆ, Ex Typographiâ Antonii de Rubeis
in Platæa Cerenfi MDCCLIII.

Epistol. tudinem, qua me fuisse deceptum, certior evasit, argumentis utitur, quorum momenta ad Senecę lancem sic ponderant (i) *Speciosa, & magna contra visentibus, cum ad pondus revocata sunt, fallunt.*

Speciosum siquidem tentamen est seminalium plantularum, quas, ablatis Seminalibus foliis, affusâq; cicatricibus cerâ, deinde sevit, nec unquam vegetarunt. Verumtamen hoc mea directè non convellit experimenta, post enatas jam Plantulas seminalium foliorum mutilationem referentia; sed tangit D. Ciasii (non Ciani) additam auctoritatem, cui fidem adhibui tamquam Viro in Botanicis non vulgari, (quod edita ab ipso confirmant) & qui meditationes illas de natura plantarum, non conscripsit (ut patet ex ipsis) apologetico stylo, seu contradicendi impulsu, proindèque nondum preoccupato adversus aliquem animo.

Boyl. de t. Phil. exper. tal. ex. t. 5. sec. Sed quid moror? Exeat arena pereruditus D. Ciasius, & Vegetatio Castanearum, ipsis etiam adempta pulpa, ut meum experimentum in campum jam veniat. Forsitan consternabitur ab eadem enchyresi per Dominum Malpighium frustraneo eventu repetita? Neutiquam sanè, cum (κ) *Etiam Philosophi sæpius decipiuntur, ubi methodi effectus desideratos producendi Analysim genuinam, & perfectam se reperisse autumant. Natura enim subtilitatibus suis, nonnunquam subtilitates ratiocinii humani exquisitissimas transcendere, & contemptui habere solet.*

tabbi. c. I. Quod facilius evenit, cum Philosophantes ex unico tentamine, seu unica experimentorum specie vim sumere non verentur ad generales regulas instituendas (immemores Aristotelici documenti (1) *Multæ etenim ejusdem rei memoriæ unius experientie vim efficiunt*) vel quando circa res illas aggrediuntur experimenta, quas

diuturna licèt speculatione tractatas, vix tamen in primo praxeos limine salutarunt. Idcirco Dominicus Panarolus clamabat. (a) *Experientia non consistit, dum quis in arte consenescit tantum, sed dum quis oculis Lynceis omnia videt, omnia observat, quæ faciunt ad rem.*

(a) In P. carpon. ser. me. Pentecost. obser. 20. Hinc est quod, pace Viri clarissimi, affirmare audeo ipsius experimentum in serendis, ablato utroque seminali folio, lupinis, phaseolis, atque castaneis gemino crure claudicare; primò etenim de illis semel periculum fecit, quia licèt dicat *iterum, atque iterum*, at tamen ex contextu liquet hoc respicere varias feminum species, non verò plures actus circa unamquamque illarum specierum habitos, quos accuratior experientia requirit, ut normam minùs fallacem præscribat; cum autem unica illa vice abfuerit vegetationis eventus, poterat quidem concludere, quod dimidiata semina aliquando non germinant, non verò nunquam.

Porro frequentissimum Botanicorum est infortunium, ex centenis, ut ita dicam, feminum speciebus singulo anno ab humanitate amicorum alibi degentium acceptis, terræque commissis, vix earum medietaem pullulare, quamvis nullam manifestam læsionem acceperint, & nihilominus nemo unquam sibi persuasit non natas tunc plantas absolute ibi nasci non posse è feminibus illis ea, qua in serendo, tunc usi sunt arte.

Fateor (ut id obiter innuam) me cupidum addendi huic Horto Medico exoticam illam plantam, cui nomen Amarantho Affinis Brasiliæ & c. Breynii à singulari humanitate Illustrissimi D. Felicis Abbatis Viali Publici in Patavino Lyceò Botanicæ Professoris flagitata semina elapsis annis obtinuisse, quæ tamen nullatenus vegetarunt; sequenti autem anno pro iisdem semi-

nibustum ipsum, tum celebrem D. Georgium Volka-
merum Phythologum Norimbergensem exoravi, & ab
utrisque obtenta, diligentiore mangonio terræ commisi,
quibus nec melior arrisit fortuna. Quapropter tertia vi-
ce ex Hollandia ab insigni D. Petro Hotton in Accade-
mia Lugduno-Batava doctissimo Simpliciū Magistro,
ut de illis mihi faveret, curavi; quæ transmissa, aliis etiam
Amicis amœnioris Floræ Cultoribus hîc Romæ commu-
nicanti mihi placuit etiam illorum industriam experiri,
verùm incassum omnia; & nostris obsecundare votis
continuò illa semina dedignata fuerunt.

Ex hoc itaque non semel, at quinquies (computatis
Amicis) reperito tentamine ferendi semina Amarantho
affinis, equidem recentia (juxta cordatissimorum Profes-
sorum fidem quotidie in plurimis aliis probatam) ac per-
fecta, ut fideli dentiū scrutinio in aliquibus peracto ipse
comperii, si inferre præsumerem, talia semina adeò Ro-
manum Cœlum respuere, ut sub ipso nasci omninò re-
cusent, quis mihi hoc ignosceret, serio perpendens, dum
Patavii, Bononiæ (fratre attestante); imò dum No-
rimbergæ, Lugduni-Batavorum, inque frigidioribus aliis
regionibus non tam egrè nascuntur, eò magis à tepidio-
re hujusce Romani Cœli influxu debere foveri, atque
ad ortum excitari, præsertim cum planta illa in estuosis
terris naturalem sedem agnoscat: Quapropter quòd ip-
sius semina hîc toties humata non germinaverint, id
non defectui fecunditatis ipsorum, sed aut imperitiæ
ferentium, aut verosimiliùs alteri occultiori culpæ im-
putandum.

Si igitur ego, dum annis triginta, & ampliùs Botani-
cis studiis addictus, tot millia feminum, & in his pluri-
ma ex utrâque India advecta ad vegetandum excitavi,

atque in dies excito, postquam circa Amarantho Affi-
nem accuratiores nîsus ~~ann~~ neglectis aptioribus Lunæ,
ac Solis aspectibus, terræ qualitatibus, irrorandi cura,
aliisque juvantibus circumstantiis, adhuc toties incas-
sum exercui, non idcirco infortunium hoc pro idoneo
experimento jactare valeo ad definiendum impossibi-
lem in Romano solo illius plantæ ortum; Quò potiori
deinde jure clarissimus Malpighius ferendis innumeris,
maximèque diversarum stirpium seminibus nunquam
sic deditus, proindèque nec majore peritia (quæ longo
discitur usu) instructus, semel ab ipso sator absque semi-
nalibus foliis phaseolos, castaneas &c. pro valido expe-
rimento in medium adducet?

Nunquam ne Geoponicos auscultavit monentes?

(b) *Tantum disce suo benè ponere tempore semen,
Et justâ campo immissum memor occulle terrâ.*

(b) *Renat.
Rap. Carm.
t. I. Hortor.
lib. I.*

Profectò Phytologicos ipsius tractatus mihi attentè
evolventi, nisi fabarum, phaseolorum, cucurbitarum,
pisorum, aliorumque paucorum semina occurrunt ter-
ræ ab ipso commissa, modò macerata, irrorata modò di-
versis salibus aqua solutis, aliisque fluidis: at naturalis
feminum vegetatio.

(c) *Non has (inquit) eram vobis querenda per artes.*

(c) *Renat.
Rap. ubi sup.*

Hanc fortasse objectionem prævidens diluere arbitra-
tus est, dum subdit: *In eodem solo castaneas, & glandes
absque foliis seminalibus, aliasque non mutilatas plantavisse,
has verò feliciter vegetasse, illis putredine corruptis.* Verùm
non advertit ita nodum non solvi, at novis laqueis im-
plicari; Quandoquidem quis ignorat eòdem colendi ri-
tu bene promoveri non posse vegetationem crassiorum
feminum integrorum, ac eorundem foliis seminalibus
destitutorum; etenim priora illa ulteriori terra obduce-